



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VIII. Quia est Angelis Nobilior.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

singulis diebus S. Virgini dicere orationem; accidit ut studijs abstractus sui more obliuisceretur, sequenti nocte B. Joann. Evang. illi cum ferula comparuit, ut puerum Edmundi periret, quo vehementer terrebatur Edmundus, sed & Joannes mitior fuit, & contentus minis, sed imperavit sedulo, ne unquam omittet prædictam orationem. Scribit *Brovius annalium lib. 12. quod anno 1180. accidit, et ab Alexandro III. examinatum et approbatum.* Erat quidam prædives Burgens in loco, qui dicitur Rota Amatoris in Gallia, à quo monachi Ecclesiæ S. Mariæ & S. Amatoris mutuo acceperunt pecunias, cortinas illius Ecclesiæ tradentes illi loco pignoris; imminente autem festo Dei Genitricis, rogârunt prædicti monachi, ut illas cortinas pro triduo concederet Ecclesiæ; quibus exornaretur, negavit ille asserens illas esse circa lectum suæ mulieris, quæ nuper ei puerum pepererat: transit itaque festus dies sine ornatu, tum B. Virgo uxori in somnis apparuit, & dixit: Vir tuus peccatum grande commisit, nec poterit impietatis excessu derelinqui impunitus, tertiâ enim die infans tuus spiritum exhalabit, & vir tui morti debitum solvens, in die octava mutabit hanc temporalem felicitatem supplicij æternis; tu autem proficiâs ad Ecclesiam meam, quæ est in Bethlem, & circumspicâs ibi tribus sepulchris, quorum quidem extrema duo vacua non sunt, medium tibi eliges in sepulchrum, interim omni feriâ quartâ, circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus, & decurret ab ore tuo, & naribus sanguis multus, & usque ad horam nonam sabbati veluti mortua permanebis, quæ omnia juxta ordinem evenerunt. Hanc ipsam severitatem jam olim in Judæos exercitam vera est *D. Brunonis sententia serm. de Annunt.* Nulla est creatura quam sic Judæi odio habent, sicut Matrem hanc & Filium. Videamus & poenam. Horribile fuit Hierosolymorum excidium, contigit verò illud sexto idus Septembris, hoc est Natali ipso Virginis. *Josephus lib. 6. de bello cap. 14. 15.* idque Sabbato, quæ dies Virgini dedicata, ut Justitia Divina ostenderet, non modo sacrilegium illorum commissum in Dei Filium, sed etiam scelera in Virginem admittisse punivisse.

8. Quia ipsis Angelis Nobilior.

S. Thomas opusc. 4. Exceptit Maria Angelos in tribus, in quibus excedebant ceteros homines, videlicet: gratiæ plenitudine, familiaritate Dei, & puritate. Hinc *S. Ephrem orat. de Virg.* Sublimior es cœlicolis, purior solis radio & splendorebus. *S. Genatius M. epist. ad Joann.* In Maria Matre Jesu humanæ naturæ, naturæ sanctitatis Angelicæ sociatur. Valdè desidero aspectum hujus cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi. Id mihi figurâsse videtur *Exod. 35.* constructio tabernaculi ad quod unusquisque quod optimū habebat offerebat extruendum, Principes autem

rum, argentum, nobiliores purpuram, fœminæ coccinum &c. nam verba Sap
 8. de Sapia: *Dominus dilexit eam, doctrix enim est disciplina Dei, & electrix operum*
eius Virgini applicat *S. Maximus Episcopus Tyri, & S. Iuuenal. Episc. Jerosol: serm de Af-*
sumpt. quia omnia optima sibi elegit. Idque insinuare videtur vox Sponsi Cant.
Marenulas aureas faciemus tibi, LXX. legunt. Similitudines aureas optimas faciemus,
 ut sit mons in vertice montium, amicta sole &c. exaltata sicut palma, sicut li-
 lium inter spinas. *Rupert. lib. 6. in Cant.* Quando Spiritus S. in te superuenit, & Fi-
 lium Virgo concepisti, tunc tu, & extunc pulchra pulchritudine Divinâ. Indè
Matthimus orat. de adorat: venerã de zona Drip. cap. 8. Propriè verèq; est Deipara, quæ
 est altior & superior, quavis re. creata, tam quæ sub aspectum cadit, quàm quæ
 non cadit, quæ est pura, impolluta, intacta Patris, qui nec videri, nec compre-
 hendi potest, ab omni reprehensione aliena, & pulcherrima Sponsa, & benedicta.
Franciscus Seraphicus tomus. opus: in Salut. ad B. Virg. Ave Domina Sancta, Regina
Sanctissima, quæ es perpetua Virgo, electa à SSimo Patre de cœlo, quam conse-
cravit cum Sanctissimo Filio & dilecto, ac Spiritu Sancto Paraclito, in qua est, &
fuit omnis plenitudo gratiæ, & omne bonum. S. Epiph. orat. de laud. Virg. Gratiâ
plena es B. Virgo, solo Deo excepto, cunctis superior existis, naturâ formosior &
ipsis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico. Richard. à S. Laur. lib. de
laud. Virg. cap. 4. Non mirabile videretur, si multis gratijs plena diceretur, neque
 tam una, quàm plena ostenderetur, omnibus fortalsè simul sumptis: sed ita gra-
 tiarum plena est, ut unâquâque gratiarum plena sit. *Et postea.* Incrassatæ enim
 erant in ea gratiæ, dum quælibet eam totam implebat, & occupabat, & quasi pro-
 priam sibi vendicabat. *Et postea.* Sic usque quâque gratiâ plena fuit, quia mayo-
 rem gratiam habere non potuit, nisi ipsâ Divinitati uniretur, hoc est nisi ipsa esset
 Deus. Hæc est plenitudo, de qua specialiter dicit Angelus. *Ave gratiâ plena.* Hæc
 ita propria est Bmæ Virgini, quod etiam Angelus proprium nomen ejus tacuit,
 & hoc quasi pro nomine ejus proprio posuit, ut plena gratiâ deinceps vocaretur.
 Hinc illam compellat *S. Andreas Cret. orat. de dormit. Virg. 3.* O Sancta & Sanctis
 sanctior, atque torius sanctitatis super sancte Thesaure. *Et S. August. sic Divam V.*
affatur serm. de Incarnat. Tu tota pulchra, tota formosa, tota delectabilis, tota
 gloriosa, tu maculâ nullâ fuscari, tu omni decore vestiris, tu omni sanctitate
 ditaris, tu super omnes Virgines sancta in carne, tu super omnes Angelos, &
 Archangelos, sancta in mente, tu cunctas fœminas vincis pulchritudine car-
 nis, & omnes Spiritus Angelicos excellentiâ sanctitatis, tu plena Deo, plena
 Spiritu Sancto.

Accedat his sensus ipsius *Angeli quem expressit cap. 5. ejus sermonis quem dicitur*
B. Brigittæ de Virginis excellentia. Sine omni ambiguitate credendum est, Deum in
 te (S. Maria) ante tuam creationem plures prævidisse virtutes, quam in omnibus
 herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, seu metallorum
 generibus, quæ inveniri possent in totius orbis amplitudine. *Suar. tom. 2. dist.*
21. sect. 3. & 4. docet Virginem videre in Verbo, quidquid omnes homines &
 Angeli pariter. Quia ut *B. Hieron. serm. 2. de Assumpt.* sicut incomparabile est
 quod gessit, & inestimabile quod accepit, ita & incomprehensibile præmittit
 gloria, quod promeruit. *S. Bernardin. tom. 1. serm. 61. cap. 3.* Tanto lumine illustrata
 fuit B. Virgo, etiam cum adhuc esset in ventre matris, ut non tantum plena fuerit
 lumine rationis, sed etiam altissimæ contemplationis, eò sublimata, ut Deum per-
 fectius contempleretur in utero matris, quam alius in ætate perfecta: magisque
 deinde excessit in contemplatione dormiendo: quam alius vigilando. *Bernard.*
spec. cap. 13. Tanta gratiarum copia in Maria abundavit, ut etiam ipsa gratiosa Virgo
 Gratia quodammodo potuerit appellari. *S. Bernardin. tom. 3. serm. 11. cap. 2.* Sicut
 Filius Mariæ est Sanctus Sanctorum, ita constat quod Mater quæ ipsum portavit
 est Sancta Sanctorum. *Hieron. in psal. 18.* Maria interpretatur Stella maris, lumina
 solis magis lucet quam stellarum, Sol justitiæ Domus est, ut ait Propheta: Ori-
 tur vobis Sol justitiæ, quod est Christus, illuminavit Sol iste Stellam, id est Mariam,
 ut esset sicut Sol, idè posuit tabernaculum suum in Sole, quoniam corpus assump-
 sit ex utero suo. *S. Thom. in 1. dist. 44. q. unic. art. 3. ad 1. in edit. Romana facta Pij 7.*
iusu. Puritas intenditur per recessum à contrario, & idè potest aliud creatum
 inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nullà contagione peccati
 sit inquinatum, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali
 immunis fuit, fuit tamen sub Deo, in quantum in ea fuit potentia ad peccandum.
S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 44. parag. 9. Incessabilitatem charitatis habuit B. Virgo
 super Seraphim, quod sic probat *Albert.* Magis incessabile est, quod non cessat,
 nec potest modò cessare, nec unquam potuit cessare, quam quod non cessat nec
 potest cessare, sed tamen potuit aliquandò cessare: sed charitas Seraphim cessare
 non potest modò, potuit tamen aliquandò cessare, scilicet in prima eorum con-
 ditione, quod patet per exemplum luciferi, qui secundum *B. Gregorium*, supremus
 fuit de ordine Seraphim, qui à charitate sibi collata cecidit de cælo: sed charitas
 B. Virginis nunquam potuit cessare, quod ostenditur per hoc, quia charitas non
 potest cessare, nisi per mortale peccatum, sed nunquam potuit peccare mortali-
 ter, quia in utero sanctificata, antequàm posset peccare, per ipsam sanctificationem

ita fuit confirmata in gratia & charitate: quod postea peccare non potuit, etiam venialiter, undè nec amittere charitatem.

9. Quia est Primas reparati generis humani.

Dixit id *S. Sabbas in Men. 1. Jan.* Architectus & Dominator omnium DEUS, ex incorrupto utero tuo carne suscepta, humani te generis Primatem creavit, & Domina nulli unquam reprehensioni obnoxia! Et *Joannes Eucharista 30. Jan.* Hominum res Divinas intelligentium chorus, iustorum memoriam cum encomijs celebrat, inter quæ encomia gloriosæ laudes Genitricis Divinæ miscentur, ut quæ caput est iustorum & non minus inter postremos, ac medios iustorum ordines, quam inter primos propria cuique sanctitate præcellit. *S. Thomas Episcopus Valent. conc. 3. de Nativ. B. Virg.* Sicut in creatione mundi in homines collata est omnis creatura, ideo microcosmus: sic in reformatione mundi in Virgine collata est omnis Ecclesia; & Sanctorum perfectio undè microcosmos Ecclesiæ dici potest: quidquid in quolibet sancto illustre fuit, in illa fuit. *S. Bernardin. tom. 1. serm. 6. a. 1. c. 4. producit Glossam in Cant. 4. & sic ex Glossa ratiocinatur.* Propterea conqueritur Dominus de Virgine dicens: Vulnerasti cor meum, ubi *Glossa:* Amore tuo carnem assumpsi, & vulneribus prima in cruce vulnerasti cor meum: scilicet quod Sanctam & specialiter, & ante cæteros redemerit, & ut Adamum Primatem, ita illam Primatem generis humani constituerit, & Matrem. Sed hoc ipsum idem *S. Augustinus* ulterius loco citato explicat dum ait: Nam primogenita Filij sui fuit, plusquè pro illa redimenda in mundum venit, quam pro omni alia creatura. Consonat *S. Antoninus 1. p. tit. 15. cap. 14.* Dignitate quoque est Mater: nobilior enim est & gratia, & gloria, omni purâ creaturâ; quod autem est primum in unoque genere, est quasi causa aliorum. Et paulo post. Ipsa enim ante sæcula prædestinata est, ut esset principium ex quo recreandum fuit omne creatum, & sic dicitur de ea: Dominus possedit me in initio viarum suarum, id est ut sim prima omnium creaturarum, quæ paræ creaturæ sunt. Et rursus *S. Bernardin. serm. de Assumpt.* Plus pro Virgine redimenda is venit quâ pro omni alia creatura, juxta illud *Cant. 4. Vulnerasti cor meum Soror mea, Sponsa,* pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus prima vulnerasti cor meum. Nam Primogenita fuit Redemptoris B. Virgo. *S. Ambros. in Lucam.* Nec mirum si Dominus redempturus mundam, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Certè tota Ecclesia Virgini applicat illud: *Dominus possedit me in initio viarum suarum:* atqui hæc vox possedis ut *Oleaster* ostendit